

12

FRANCISCI  
OMKEN,

IN OBITVS DO-  
ctis. VV. dn. PETRI BAR-  
THOLDI, Ministri Ecclesiae  
apud Gustrouenses: & VVOLFANGI LEO-  
POLDI, gymnasiarchæ ibidem, præ-  
ceptorum S. obseruan-  
dissimorum,

QVRELÆ.



*Witebergæ, in officina Ioannis Cratonis.*

Anno MD. LXXV. Mense IIXbri.

C. 665

665

IN OBITVM DOCTISS. ET PIEN

TISS. V. DN. PETRI BARTHOLDI,

Q V E R E L A.

**E**Rgo iaces, nec te pietas diuinaque uirtus  
Seruant, sic morbo uincere Petre tuo?  
Ergo procul sanctis heu tristia funera membris  
Pellere, non artes, non medicina ualet?  
Cum tamen Hippolyti distracta medela refecit  
Membra, per insanas dilacerata rotas.  
Innumeros Phœnix, & Phœbi nuntius annos  
Viuuit, Hamadryades tempora longa dex.  
Sæcula tot ceruus, tot uiuit sæcula cornix,  
At paucis hominum uita diebus abit.  
Sæpius hoc querimur, nec fert querimonia fructum,  
Quotidie querimur, quotidie rapimur.  
Nam fera mors si quid conspexerit utile terris,  
Insidiatrices non tenet usque manus.  
Quin age inutilibus mors infer uulnera turbis,  
Criminibus quorum perdita uita iacet.  
Hos iugulato, hos dede neci, defunctaque membra  
Excipiat torui publica cymba senis.  
Tunc tua laudemus rectissima uulnera, nullus  
Sæuum iudicium dicet, ut ante, tuum.  
Sed tua de cunctis iustissima corda sagitta  
Primum carpit, & ad tristia fata uocas,  
Optima tu nobis tollis, tu pessima linquis,  
O durum nostræ conditionis onus,  
Hæc homines qui sanguine gaudent,

Quali

Qualis erat Petrus, qui uitam puriter egit,  
Nec sæuum rigidi Martis amauit opus,  
Sed sanctum Christi nomen uerbumq; professus,  
Sincera docuit simplicitate fidem,  
Utque bonus pecudes pastor de labe repellit,  
Ne uitio sanas inquinet atra lues :  
Impia sic sanctis pepulit contagia septis,  
Ne sibi commissum tentet ouile lupus.  
Peruigil ad mores animum reuocabat honestos,  
Mensque erat ad curas ingeniosa pias.  
Non inimicitia, non dura pericula terrent,  
Tramite quin recto monstret ad astra uiam.  
Totus erat pietas, totus clementia, totus  
Cum sine fraude fides, tum sine labe pudor.  
Tali nunc merito luges orbata marito  
Femina, cui similem uix tibi fata dabunt.  
Quodque pij nequeas subito compescere luctus  
Pectoris, haud facti causa pudenda tui est.  
Te natura hominem uoluit mitissima nasci,  
Non in Caucasæis rupibus esse feram,  
Sed semel amissum nullo reparabile pacto,  
Hoc ipsum leuius, si patieris, erit.  
Quidnam igitur profunt tibi frigiduli singultus?  
Nil casus nobis attulit iste noui.  
Natus enim mortalis erat, cui tempore paruo,  
Etsi nunc maneat, mors obeunda fuit.  
Per quam, quod prius est transmissum ex ætheris oris  
In corpus, rursus cælica templa petit :  
In cinerem uero cedit, quod erat cinis, atque  
Cedit item in terras, terra quod ante fuit.

Huic autem ad Superos aditum mens æqua fidesq̄,  
Et uirtus præstans religioq̄ dedit,  
Ergo felici congaude læta marito,  
Tantis inuidia est indoluisse bonis.  
Tu uero tristes lacrymas Gustrouia fundas,  
Atq̄ trahas gemitus corde dolente graues.  
Credito, non casu iusti moriuntur inani,  
Sed sunt uenturi nuntia certa mali.  
Ille quidem capiens promissæ munera uitæ,  
Quas habitat sedes turba beata, colit.  
Raptus & e tanto miserarum turbine rerum,  
Parte sui fruitur nunc meliore Deo.  
At nos magna manent uenturæ incommoda poenæ,  
Seruamurq̄ nouis turba premenda malis.  
Nam Dominus quoties populum punire solebat,  
Qui sua negligeret iussa tremenda ferox:  
Instantis signum poenæ non certius ullum  
Præmisit, sanctos quam rapiendo uiros.  
Sed tu Christe Dei lux, splendor, imago parentis,  
Immanuel, coetus duxque comesque tui,  
En tua poscit opem dubijs Ecclesia rebus,  
Quæ sine te nullum qui tueatur habet:  
En oppressa malis, orbataq̄ præside tali  
Plorat, & , heu miseræ quid mihi fiet? ait.  
Protege quassatam solita pietate Sareptam,  
Quæ tua non dubia dogmata uoce colit.  
Ut maneat, quæ te uotis Ecclesia ueris  
Inuocet, & cultus discat ametq̄ tuos.

AD TVMVLVM WOLF.

GANGI LEOPOLDI.

CONIVX LOQVITVR.

HEV funesta dies, nigro damnanda lapillo,  
Tristibus infaustum nomen adepta malis,  
Inuida qua nostrum mors sæua diremit amorem,  
Et bene compositos rupit iniqua toros,  
Nunc mihi nil miseræ est, cur posthac uiuere curem,  
Aetherea postquam lux mea luce caret.  
Nam quid ego heic aliud nisi durum & flebile semper  
Te sperem erepto, care marite, mihi?  
Tu meus ardor eras, in te mea maxima cura  
Hæserat, & uoti summa caputque mei.  
Tu mihi solamen, miseris tu rebus asylum,  
Tu uada, tu uenti, tu mihi portus eras.  
At nunc dum patriam uiolent contagia pestis,  
Tu quoque non digno funere mersus obis.  
Et mihi cuncta simul perierunt gaudia tecum,  
Quæ tuus in uita dulcis alebat amor.  
Heu sæuæ leges, & dura potentia fati,  
Humanum finitis quæ nihil esse diu.  
Nunquid de uestro uos cedere iure putatis,  
Si paucos etiam uiueret ille dies?  
Me me utinam comitem leto tibi fata dedissent,  
Et coniuncta forent funera nostra tuis.  
Ah quis me miseram, quis nunc solabitur orbam?  
Quis medicina mei grata doloris erit?  
Felix natorum Niobe post fata fuisti,  
Eripuit sensum saxea forma malis.

Felices etiam, uiridi quæ cortice clausæ  
Fletibus Heliades imposuere modum;  
Ipsa dolore graui nimium confixa reseruo,  
Nec mihi luce uenit, nec mihi nocte quies.  
Nam mihi deuictæ lacrymis si forsam amaris  
Clauferit illapsus lumina fessa sopor:  
Te mihi per somnos uolitans adducit imago,  
Tuque uidere meum pone cubare latus.  
Sed cum per gelidos extendo brachia lectos,  
Ut prensam manibus te, uelut ante, meis,  
Excutor somnis, & cum spem sentio falsam,  
Nequicquam lacrymis imbuo strata meis.  
Ergo uelut uiduus lugubri gutture turtur,  
Interni gemitus tristia signa mouet:  
Ille pedem in uiridi castum nunquam arbore ponit,  
Nec nisi turbatas unguibus haurit aquas:  
Et misera ingenti ducit suspiria luctu,  
Obq; suæ sociæ funera triste gemit:  
Sic quoque dum fuerit misera hæc mihi uita superstes,  
Deflebo exequias, care marite, tuas.  
Nec mihi Nepenthes luctus obliuia tanti  
Adducet, curas discutiet ue meas.  
Nec licet eporem torpentis flumina Lethes,  
Vuolfgangi potero non memor esse mei.  
Plura loqui prohibent lacrymæ, quibus ora rigantur  
Candida, quas tristes in tua busta damus.  
Ergo uale æternum, placide & precor ossa quiesca:  
Nec bustis oneri terra sit illa tuis.  
In cinere uis carne resurgas

Interea tecum tua dulcis imago manebit,  
Nec prius ex memori pectore cedit amor.  
Salue, iterumque uale, decus, & mea summa uoluptas  
Solamen uitæ dulce, marite uale.

MARITVS RESPONDET.

**C**V R requiem lacrymis nostram, dulcissima coniux  
Impedis, & frustra nomina nostra uocas?  
Quid mihi tot gemitus? non hos mea funera poscunt.  
Quo dolor impellit? quæ tibi uerba cadunt?  
Desine. quas tribuis uires, quæ numina sorti,  
Obruat arbitrijs hæc quasi cuncta suis?  
Tu'ne Deum stabili firmatas ordine leges  
Credideris certam deficere ante diem?  
Cum semel æthereum hinc raptè mittuntur in orbem  
Terrenasque animæ deseruere domos:  
Præmia pro meritis capiunt, sedesq; paratas  
( Sic statuit superum prouida cura ) tenent.  
Corpora nec poterunt defuncta redire prius, quam  
Ultima iudicij uenerit hora sui.  
Pone tuos igitur luctus, animoque reuolue,  
Quam sit homo fragili condicione fatus.  
Nascimur in lacrymis, uitam finimus in illis,  
Et nostri fugiunt. ceu leuis umbra, dies.  
Vita nec est aliud nisi tristis & ægra uoluptas,  
Nil nisi dulce malum, nil nisi triste bonum.  
Mors properat, fuga nulla patet. mortale tributum  
Soluere naturæ iure tenetur homo.  
Quis fugiat patriam miser exsul? patria cælum,  
Exsilium mundus: heic mare, portus ibi,

Pone

Pone tuos igitur luctus carissima coniux,  
Nam mea nunc omni uita dolore caret,  
Non me tergemini canis indignantia monstra  
Terrent, nec Stygias lymtre secamus aquas.  
Saxa, rotæ, scopuli, fugientia flumina, uultur,  
Tale nihil noster mitior orbis habet.  
Sed requies heic summa pijs, & summa uoluptas,  
Vitaque perpetuis accumulata bonis.  
Siste igitur lacrymas, turgentia lumina fletu  
Ablue, non gemitus tristia fata leuant.  
Qui pater est uiduis, orbisque parentibus, alium  
Præsidium, erepto me tibi, solus erit.  
Felix ergo uale. & longam tibi numina uitam,  
Liberam & a curis dent, uacuaque metu.  
Ne miseræ soboli geminent tua funera fletum,  
Quorum onus in matris nunc iacet omne sinu.  
Tempus erit quando in cineres resoluta resurgent  
Membra, per æternos non moritura dies.  
Tunc nostri longe melior coniunctio fiet  
Corporis atque animæ, quam fuit illa prior.  
Tunc me iterum cernes, tunc te complectar abunde,  
Et tibi perpetuo tempore iunctus ero.  
Inter & angelicos cœtus, animasque beatas  
In nostro semper laus erit ore Dei.

F I N I S.